



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Exercitium seu inter Sanctæ Crucis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

*Exercitium seu iter sancte Crucis.*

**P**rinclpio leges d anima deuota, quinq; *Pater noster*, & quinque *Aue Maria* ambulando, ad honorem illius amoris, que ego Dominus Iesus Deus tuus à coena egressus sum cum discipulis meis ad hortum, vbi traditor me quæsiturus erat. Quem amorem meditando, simul etiam recordaberis suauissimi sermonis (quem ego eadem hora loquutus sum ad discipulos meos) igniferæ dilectionis plenissimi: rogando me Dominum per eundem meum infinitum amorem, vt miserar tui & causæ pro qua postulas.

*Secundo*, orabis similiter quinq; orationes dominicas, & tota se salutationes Angelicas humiliter positus nudis genibus (si commodè potueris) sicut ego Dominus in horto orauì vsque ad sanguineum sudorem.

*Tertio*, ambulando orabis dictas Dominicas orationes & Angelicas salutationes sicut ego Dominus tuus Iesus Christus meis hostibus spontè obuiam iui, quibus etiam solo verbo prostratis potestatem permisi me capiendi, ligandi, trahendi, prosternendi, cædendi, illudendi, & de iudice ad iudicem ducendi, & quicquid poenarum volebant inferendi tota nocte & mane sequenti.

*Quarto*, manibus cruciformiter pectori applicatis, sicut ego Dominus tuus Iesus Christus steti columnæ alligatus, & flagellis toto corpore laniatus, eadem orationes & prædictas salutationes Angelicas orabis.

*Quinto*, prædicta orabis sedendo, ad honorem meum, quod spinis scilicet fui coronatus, consputus & percussus sedebam: & deinde sic populo ostensus & condemnatus fui.

*Sexto*, prædicta orabis ambulando curuato dorso ad honorem meum, qui graui Cruce oneratus iui, portans omnium vestrum iniquitates: cum qua viribus exhaustis occurrente matre mea moestissima in terram corruì.

*Septimo*, prædicta orabis ambulando implexis manibus, ad honorem piissimæ virginis matris meæ, quæ me filium suum Crucis baiulum dolens sequebatur, & tandem in meo occurfu deficiens corruit in via.

*Octauo*, prædicta orabis cruciformiter expansis brachijs collocando te super dorsum tuum, & honorem dirissimæ, præcipitationis meæ super crucem, meæq; extensionis & affixionis.

*Nono*, prædicta orabis stando extensis in altum brachijs, quemadmodù ego Dominus in Cruce steti pendulus, laniatus, & vndique derelictus.

*Decimo*, prædicta orabis, stando implicatis manibus sub cruce cum sancta Maria matre mea summo dolore transuerberata.

*Vndecimo*, prædicta orabis, iacendo supinus in terra, ad honorem meæ mortis, & quod in sinu meæ matris depositus, & in sepulchro fui collocatus.

*Duodecimo*, eadem orabis, stando ad honore gaudij mei & matris meæ beatæ Mariæ, quod recepi in festo Paschæ & gloriosa resurrectione mea. Rogabis hoc loco beatissimam virginem Mariam matrem meam semper venerandam, vt suis sanctissimis meritis & precibus tibi impetrare dignetur consolationem exauditionis in hæ petitione tua, pro gloria & voluntate mea & animarum salute, concludendo exercitiu cum *Salve Regina*, & Hymno, *Veni creator Spiritus*, & Collecta de Spiritu sancto.

*Canon, regula, siue fraternitas, hoc est, Institutio succincta alter a ijs qui spiritu seruentiore ad perfectionem virtutum Christi formium anhelant potissimum præscripta.*